

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CCXIIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

lum Noviomagum, qui has tibi literas exhibet, Reverendo patri & tibi commendo. Filius est M. Pauli Noviomagi, qui multos annos Christiani Daniæ regis concionator fuit, & literis regiis Sturmio, ut opinor, commendatur. Bene vale. Pridie Natal. inchoantis annum 1577.

David Chytræus.



CCXIX.

S. D. Reverende & doctissime Domine Licentiate.

Dedi ante mensẽ literas ad te, Paulo Noviomago Dano, quæ an tibi reddite sint, per hunc Tabellarium certior fieri cupio. Apud nos nihil interea novi accidit, nisi quod Senem-Ebræum nostrum **D**eus ex hac vita placidissimè evocavit, cui Nicolaus Goniaus successit. Inter novum Poloniæ Regem & urbem Dantiscum de conditionibus subjectionis ab urbe præstandis, adhuc tractatur. Sed comitia Polonorum Toronensia, nullo decreto unanimi consensu factò, soluta sunt. Itaq; nihil Dantiscanis ab obsidione periculi fore existimatur.

Te oro, ut de vestræ Ecclesiæ & Academiæ, & vicinæ Galliæ statu, si quæ habes *ἀξιολογία*, quæ amico scire licet, mecum communices. Bene & feliciter vale, & venerandos Parentes tuos meis verbis saluta. Pridie Conversionis Pauli, Anno 1577.

David Chytræus.

CCXIX.

Salutem in Christo. Reverende & Clarissime vir,

& amice in Christo charissime:

Literæ tuæ, quibus de statu Ecclesiæ nostræ Heydelbergenfis certior fieri cupis, mihi vigesima demum Januarii die redditæ sunt.

Et nolo te ignorare, Illustrissimum atque optimum Electorem hinc discedentem, Collegæ meo M. Andræ Stolizio, Superattendenti vicini comitatus Erpbacensis, & mihi, curam Ecclesiæ ad Sanctum Spiritum commendasse: remotis iis, qui hætenus in Ecclesia illa docuerant: inter quos Olevianus, non solum à docendo, & nostra Ecclesia abstinere, sed & urbe excedere iussus est. Sic Collega meus & ego cum duobus Diaconis Wirtembergæ missis, templum S. Sancti tenemus, & docemus in sacris magna frequentia: sacramenta